



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SAMARINDAËNSIS\*** IN INDONESIA  
CONSTITUITUR NOVA PROVINCIA ECCLESIASTICA  
SAMARINDAËNSIS, CUIUS METROPOLITANA ECCLESIA ERIT SEDES EIUSDEM Cum Ecclesia catholica in Indonesia, in territorio Provinciae ecclesiasticae Pontianakensis, haud parva incrementa passim suscepisset, ut ipsis Episcopis, sacerdotibus, religiosis viris atque mulieribus et Christifidelibus ibidem operose adlaborantibus meritae tribueretur testimonium laudis eorumque animi incitentur ad novos maioresque in dies exantlandos labores necnon ut ipsa Ecclesia firmius constabiliretur, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa acceptisque pariter eorum, quorum interest, faventibus votis, censuit nuper novam Provinciam ecclesiasticam iisdem in locis esse condendam. Nos vero de totius Dominici gregis bono solliciti, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate sequentia decernimus. A metropolitana sede Pontianakensi seiungimus dioeceses Tanjungselensem, Bangiarmasinam, Palangkaraiensem et Samarindaensem, ex iisque constituimus novam Provinciam ecclesiasticam *Samarindaensem* atque dioecesim eiusdem nominis ad gradum archidioecesis metropolitanae evehimus cuique assignamus uti suffraganeas memoratas dioeceses Tanjungselensem, Bangiarmasinam, Palangkaraiensem, Samarindaensem Praesulem Florentinum Sului Hajang Hau, nominamus Archiepiscopum Metropolitam Samarindaensem. Omnia committimus perficienda Venerabili Fratri Laurentio Fratini, Archiepiscopo titulo Botrianensi et Apostolico Nuntio in Indonesia, onere imposito sincerum exemplar actus effectae executionis mittendi memoratae Congregationi. Hanc denique Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo quarto mensis Ianuarii, anno Domini bis millesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.*

ANGELUS card. SODANO

CRESCENTIUS card. SEPE

*Secretarius Status*

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Laurentius Civili, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 6, p. 384 © Copyright 2003 - Libreria Editrice Vaticana